


Exercitatio Theologica, De Typo Ablactationis Isaaci Et Connexi Convivii, ad Histor. Gen. XXI. 8. ad S. Synaxin præparatoria

Bremæ: Typis Hermanni Braueri, [1708?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn868892602>

Druck Freier  Zugang





92

La 1092 (92)

5.

3. 6.

33.

23

1.


0.

2

2

4

1



no 105. 7
35
3. 366
33.
73
5
1
6
0.
2
2
2
2
4
25
2
2
0.
8

Exercitatio Theologica,

De Typo

**ABLACTATIONIS
ISAACI ET CONNE-
XI CONVIVII,**

ad Histor. Gen. XXI, 8.

ad S. Synaxin præparatoriam,

Quam

Bono Cum DEO,

Præside

Rectore Magnifico

GODEFRIDO JÜNGST,
SS. Theol. Doct. ejusd. Profess. Ord. &
Eloquiorum divinarum in Cœtu Ansgar.

Interprete,

placidæ disquisitioni exponet

A. d. XIV. Decemb. clo 1000 VIII. H.L. Q. S.

ISAACUS BENOIT, Hanoviensis,
SS. Theol. Stud. Respondens.

—•••••
BREMÆ,

Typis HERMANNI BRAUERI, Illustris Gymn. Typ.

VIRIS

*Prænobilissimis, Excellentissimis, perquam Reverendis,
Amplissimis, spectatissimis, Prudentissimis.*

DN. JOH. DANIELI HERPFFERO, Patri, JCto Con-
summatissimo, Illustriss. & Celsiss. Comitis ac Domini,
DN. PHILIPPI REINHARDI, Comitis Hanoviæ, Pa-
triæ patris Clementissimi, Consiliario Regiminis, Judi-
cii Aulici & Reform. Consistorii, nec non Novæ Urbis
Syndico Seniori, Splendidissimo, Meritissimo.

DN. JOH. DANIELI HERPFFERO, Fil. JCto Celeber-
rimo, ibidem laudatissimi Judicii Aulici & Reform. Con-
sistorii Consiliario, ut & Jurium Professori in Ill. patriæ
Gymnasio Ord. famigeratissimo, nec non Syndico no-
væ Hanoviæ fidelissimo, indes merenti.

DN. PETRO van den VELDE, Mysteriorum Evange-
lii Dispensatori in Ecclesia Belgica ibidem Seniori vigi-
lantissimo, Theologo solidissimo.

DN. HENRICO SIMONS van ALPHEN, Patriæ Se-
DN. ISAACO BARON, } natoribus
& h. t. Consulibus Gravissimis.

DN. DAVIDI BEHAGHEL, inter Francofurtenses Ma-
gnario florentissimo,

DN. PETRO BUISINE, } inter Hanovienses
DN. JOH. DANIELI HERPFFERO, } Negotiatoribus, è
DN. PETRO MANERTS, } Præcipuis Inte-
DN. QUIRINO BENOIT, } gerrimis.

Patronis, Fautoribus, Agnatis, Tutoribus sum-
mis, Amicis, Avunculis, Fratri Germano,

Eo, quo par est, pietatis & obedientiæ culto devenerandis,

Hanc Exercitationem Theol. sacram

facit

Isaacus Benoit, Neo-Hanoviensis,
Resp.



Exercitatio Theologica
 de Typo
ablactationis Isaaci &
connexi convivii
 ad Historiam Gen. XXI. 8.
 Breviarium.

- I. Studii Typici. II. Regula. III. Exempla apertissima in scriptis N.
 T. IV. Propositum. V. Distinctio. VI. Historia duo membra. VII.
 Nexus. VIII. Praestruitur Isaaci lactatio. IX. Secuta ablactatio.
 X. Convivii apparatus. XI. Apud exteros quoque populos. XII.
 Rationes. XIII. Cur magnum dicatur? Judaeorum not.e. XIV.
 Ut & quinam hospites? XV. Typum subesse, probatur primo ex
 historia natura. XVI. Dein ex loco Gal. IV. 21. sq. XVII. Scrupu-
 lus eximitur. XVIII. Ipsa Typica relatio a Sara matris. XIX.
 β Dii sterilis. XX. γ. Fœcunditate tamen saepe promissa. XXI.
 δ. Quae demum gravida facta peperit. XXII. e. Lactavit filium.
 XXIII. ζ. Ablactavit eundem. XXIV. η. Convivii σύγκρησις.

I.

Disceptari necdum inter doctos desit, quousque Typo-
 rum & allego-
 riarum in sacris usis sit extendendus, ne
 in abusum plane degeneret, neve ab altera parte eva-
 nescat penitus. Hic, uti semper, medium tenere
 A bea-

beati. Nos cum iis facere malumus, qui Christum cum regno suo, in personis, rebus & eventibus sacris insignioribus omnibus temporum œconomis, quærunt sedulo & inveniunt depictum, adumbratum, promissum, quam cum iis, qui cum H. Grotio, Spencero, Clerico, Christum in salutis regniq̄ sui mysterio in historiis & ceremoniis ritibusque antiquæ Ecclesiæ exulare pene jubent, & crisi sua nimis audace, quantocunq̄ etiam cæteroquin acumine & eruditionis accuratissimæ atq̄ diffusissimæ armis phalerisque instructa esse videatur, id demum lucri, si non damni, sortiuntur, quod *arti nihil credendi* susceperint nonnullum patrociniū, ad palatum hodierni sæculi pseudo-politici; suo tamen se ceu forex prodentes indicio, quod non habeant *μουσικειον τῆς πίστεως ἐν καθάρῃ συνειδήσει* (1. Tim. 3: 9.) Et, quomodo Christus esset *ἐν δυνάμει* Alpha & Omega? Apoc. I. 11. Quomodo *testimonium Jesu esset Spiritus Prophetia*? c. XIX. 10. i. e. anima, sine qua verbum propheticum nil nisi littera mortua foret, si in casibus notabilioribus Patriarcharum, aliorumque hominum insigniorum V. T. plane excluderetur.

H. Nè verò quilibet audendi & statuendi prurigo circa *Typos* inquirendos invalescat, Regulas quasdam, à Theologis plerisque commendari solitas, præmittere operæ ducimus pretium. (N) Ubi *Typus* in aliqua sacra persona, re, vel historia eruitur, ibi supponi debet ipsa historica veritas ante omnia & statuminari. (2) Nil ponendum, quod contra *ἀναλογίαν* fidei, vel cultum Dei sincerum, vel salutis fundamentum arietet. (3) Harmonia inter Historiæ circumstantias præcipuas & *Typum* non solum, sed & cum primis eventus partes nobiliores in *Antitypo*, debet deprehendi vera, non è cerebello humano nata. (4) Certissima est ea applicatio typica, ubi Spiritum Sanctum alibi habemus clare in Scripturis, *sive* in parallelo loco profetico, *sive* in applicatione typi ad antitypum, *vel* nuda, *vel* involuta, in Scriptis N. T. præeuntem. Plura de regulis ad hanc rem spectantibus videtis ap. Glass. Phil. S. L. II. Part. I. Tr. 2. Sect. 4.

III. Exempla hujusmodi occurrunt sparsim in D. Pauli ad Hebræos Epistola bene multa. Speciatim contulisse juvabit loca edecumata 1. Cor. X. 6. 11, *Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν* — *Ταῦτα δὲ*

dilectus; cujus conceptio & nativitas describitur h. c. vi. 1. 2. denominatio vi. 3. circumcisio vi. 4. Saræ de eo sequuntur læta cogitationes & dicta ob rem adeo raram vi. 6. 7. ubi præcipue *lactationis* illius gratam vi. 7. mentionem injicit; Jam vero pergit Moses, historiamque secutæ *ablactationis* ejusdem, non sine festivo ac effusissimo Abrahami gaudio celebratæ, subnequit.

VIII. Sicut Abrahamus summo studio profectus fuerat *anima* infantis salutem, eum octavo à nativitate die circumcidendo, ita Sara *corporis* cura distinetur, ipsum *lactando*, & quidem tam diu, donec procedente Isaaci ætate, eundem quoque *ablactaret*. Mira est infantis nutritio, dum enim adhuc embryo, matris inclusus utero, latet, paratum habet suum cibum è sanguine (ut putatur) menstruo materno, quo alioqui nihil scædum & nocivum magis: Est nempe excrementum, si non, Plinio teste, monstrificum virus; & tamen sapientissimus Creator convertit in idoneum alendo fœtui serculum, omnibus aliis deliciis & cupidis preferendum. Laudanda est utique Dei potentia, bonitas & sufficientia, & compescendus hominis fastus & luxus. Simul ac vero infans ex tenebris, carcerisque tetri squalore, in almam luminis auram erupit, aliud Deus per naturam ei paravit epulum; Idem videl. sanguis in lac conversus sursum ad ubera pellitur, & sic infanti recens nato commoda alimenta ministrat; ubi tenelli illius oris ad sugendum dexteritas & promptitudo merito à Phavorino apud A. Gell. Noct. Attic. Lib. XII. mox ab init. cogitatu, nedum dictu admirabilis nuncupatur. Philo quoque in libro *περὶ τῆς φιλαδελφείας*, singulari Dei providentia fieri, ait de lacte, ut unum illud idemque nutrimentum, partim aqueum, partim crassum, infantibus cibi simul potionisque usum præstare queat, & ad illorum sitim pariter atque famem uno eodemque tempore restinguendam optimum sit efficacissimumque pharmacum. Patet ex dictis, ad Saræ instar matrum esse decus & officium, ut infantes (viscera sua) suo nutriant & educant lacte, siquidem iis liberorum suorum salus curæ est & cordi. Pudeat ergo honestas matres, nimis delicatulas, suæ ignaviæ atque mollitiæ, quæ semetipsas tanto fructu privant, dum partum suum aliis, deterioris plerumque commatis, mulierculis committere,

tere, quam illum alere malunt. Rationes plurimas hanc in rem qui desiderat, adeat Phavorium dictum & Plutarchum in lib. de liberorum educatione; quam materiam fusius pertractat Cl. Stuckius de Antiq. Con. fol. m. 38. 39.

IX. Ast non lactatur infans in perpetuum. Tametsi Saræ peculiarem conciliabat dignitatem, ex propriis Isaacum lactare uberibus, uti recte Chrysofost. Homil. in Gen. 35. observavit, dicendo: Δια γὰρ τῆτο καὶ τῆ γάλακτος αἱ πηγαὶ παρελήθησαν, ἵνα τὸν τίκον ἐγλυήσονται, καὶ μήτις ὑπὸ βλήπον εἶναι νομίσῃ τὸ παιδίον. Αἱ γὰρ πηγαὶ τῆ γάλακτος πίσιον ἐκέρυθρον παρ' ἀπίσιον ἀνθρώπινην προσδοκίαν τὸ γεγνημένον. Propter hoc dati sunt ei fontes lactei, ut partum magis credibilem faciant, ne quis supposititium puerum putaret. Fontes enim lactei prædicabant omnibus, genuinum esse partum, & præter humanam expectationem evenisse; Procrescente tamen ætate ablacandus fuit puerulus, durioribus ad roborandum corpusculum adsuefaciendus cibi. Allegatur ex Homero, Trojanos quondam liberos suos aluisse mature medulla, aut pinguedine lactis ovili, quam butyrum dicimus: ΙΑ. X.

Ἀσυναξ, ὃς πρῶμὲν ἐξ ἄπο γένεσι πατρός

Μυελὸν ὄιον ἐδ' ἔσκε, καὶ οἴων πίσινα δημόν. h. e. *Astyanax*

qui solebat ante in genibus patris solam medullam edere, aut ovium pingue. Cujus generis cibum infantibus sexto ætatis mense tribuendum esse putat. Sunt qui tale quid de Christo observari quoque cupiunt ad loc. Jes. VII. 15. *Mel & butyrum comedet.* מֶלֶךְ Rad. notat tribuit, retribuit & hinc metonymice ablacavit, quia, ut infans placetur, & suavitatis lactis obliviscatur, solent ei præberi deliciae variæ cum blanditiis conjunctæ. Sed & inde forte retributionis significatio orta esse potest, uti verbum quoque de malis inferendis in usu est, eo quod ablacatio infanti minus grata est & mœstitiam ei creat. Notandum in genere est, ablacationem inferre in vitæ humanæ curriculo palpabilem mutationem, ut amœnissimus hætenus cibus reddatur infanti maxime abominabilis, idque non ad certam tantum moram, sed in perpetuum.

X. B. Perginus ad alterum historiæ membrum, *Convivium* illud, ab Abrahamo eodem die instructum, & magnum quidem; opiparum scil. & spectabilibus pluribusve convocatis hospitis. Inter solemnes veterum epulas infantum gratia celebratas, infi-

gniter & bis quidem in sacris occurrit *ablactationis convivium*; alterum h. l. alterum circa *Samuelem* à lacte matris *Henna* depulsum, quæ cum juvenis tribus & modio uno farinæ atque utre vini eum ad domum Jehovæ in Silo adduxit 1. Sam. I. 23. 24. An, ut unus juvenis sacrificio, duo reliqui epulo destinarentur, uti Kimchio videtur; an, ut unus holocausto, ceteri pacificis cederent, ut alii censent, non moramur. Neque in eo quicquam sicum esse arbitramur, *quamdium* lactationis tempus duraverit, num anno & mensibus sex, num biennio integro absoluto secutus sit *δοπλακτι-σμός*? Simplicissimum est, proficientibus pueris, plures requiri solidioresque cibos, quos dentibus succrescentibus facilius dividere & manducare quoque possunt.

XI. Institui quæstio solet, cur subiceatur epulum natalitium *Isaaci*, vel circumcissionis die (ex hodiernorum Judæorum more) comparatum, nominetur vero *convivium ablactationis*? *Origenes* Hom. 7. in Gen. putat, è Rabb. factum hoc, ut Sara, ad partus supposititii suspicionem averruncandam, omnibus convivarum infantibus adductis tam largo lactis fonte porrecto satisfaceret. Alii adjiciunt, circumcissionem & infanti, qui doloribus acutissimis ob inflictum vulnus obruebatur, & spectantibus quoque parentibus & cognatis, nimiam attulisse molestiam. Quamquam talibus non multum inesse roboris videatur rationibus. Propius accedunt, qui ajunt, factum fuisse hoc convivium ex instituto populi *Canaanitici*; certum saltem est, vetustissimos sacrificiorum & epularum sacrarum, in infantium gratiam, jam ab antiquissimis temporibus, obtinuisse inter Gentiles ritus convivandi. Quo si quis retulerit illa *Spartanorum* *πηνιδα*, q. d. nutricalia, quorum meminit *Athen.* L. IV. per me licebit. Illo enim tempore nutrices infantes mares in agros exportabant ad *Dianam Corythalliam* cognominatam, cujus aedes erat juxta *Tiassum* in locis vicinis *Cletæ*. Tunc igitur *copidas* (genus id erat *Spartani* convivii) agitabant, sacrificabant præterea *γαλαθινές ἢ φραγελισκός* i. e. porcellos adhuc lactantes, & in convivio apponebant panes furnaceos. Sic *Cato* *Edusam* & *Potinam* vocavit Deas *Præfides* puerorum; Has enim nutrices invocare solebant, cum pueri lac dimittere

inci-

incipiebant. Cui lubet & vacat, accedere poterit ad Dougt. Anal. Excurf. XII. p. m. 22. 23.

XII. Pii hoc convivio parentes suum publice testari volebant gaudium, sibi (1) vehementer gratulantes de isthoc ætatis infantis sui gradu, ut solidioribus iis nutrimentis porro opus sit, (2) si defumerentur fercula de sacrificiis, Deo simul reddere volebant hilari mente gratiarum actiones, qui tanto liberos suos maclaverit beneficio, cum calentibus uberiorum benedictionum votis. (3) Quoniam tam infantis depulsi ab uberibus, quam Matris φιλολογία tam repentina mutatione & animi moeror & corporis languor concitabatur, patres, comparato epulo, & dulcibus amicorum confabulationibus, eos dolores mitigare & compescere satagebant. (4) Addeffis, ut infantibus ita patronos & ἐυεργητὰς conciliarent.

XIII. Judæorum Magistri hujus convivii magnitudinem pro More exaggerare nituntur, sive quoad opiparas cupedias, sive quoad ipsos invitatos hospites. Circa prius tamen Abrahamum in eo saltem à Satane eorum Deo culpatum fuisse autumant, quod ex deliciis suis non siverit particulam abire in sacrificium; uti scriptum est in lib. Sanhedrin, in dist. quæ incipit illu ben hannechenakim: ויהי אחר הדברים האלה אחר תאו א"ר יוחנן אחר דבריו של משה דכתיב ויגדל הילד ויגמל ויעש אברהם משתה גדולה כיום הגמל ect. את יצחק את לפני הבה רשע וכן זה הננתי locum ita redditum exhibet Raym. Mart. in pug. Fid. p. m. 617. Et fuit post verba ista, & Deus tentavit Abraham Gen. XXII. 1. Post quæ verba? Post verba Satan, sicut scriptum est Gen. XXI. 8. Et crevit infans, & ablaclatus est, & fecit Abraham grande convivium. Dixit Satan coram Deo, Domine sæculi, senex iste, cujus misertus es, dando sibi anno centesimo fructum ventris, de toto convivio suo quod fecit, non habuit turturem vel pullum columbae, quem sacrificaret tibi? Ait illi sanctus Benedictus; nihil fecit, nisi propter filium suum; Sed si ego dixero ei, decolla filium tuum coram me, statim decollabit eum. cet.

XIV. Æque liberales sunt in describendis Abrahami hospitibus: Prodigiose fabulantur, Hospites huic convivio interfuisse Regem Gogum ejusque primores, nec non triginta duos Reges à Josua interfectos in Bereshe. Rab, Sect. 53. Paulo verecundior Jar.

Jerchius vocati illud convivium גרור *magnum* innuit, שרר ש
 גדולי הרור שם עבר ואבימלך: eo quod ei interfuerint Magnates istius
 sæculi, Sem, Heber & Abimelech cet. Celeb. Heideg. H. P. T. post.
 p. 326.

XV. II. Nos, Evangelii Scholæ innutriti, altiora petimus &
 ἐχόμενα τῆς σωτηρίας *mysteria*. Indagare in Isaaci ab uberibus mater-
 nis *depulsione*, & ei addito festivo *convivio*, typum, res ipsa postulare
 videtur. Idque evolvere annitimur tanto securius; *Primo*, quod
 historia nuda (quæ tamen secundum litteram manet inconcussa)
 tanti non videatur esse, ut particulatim à Mose in brevi temporis
 promissionis descriptione commemoretur: Isaacum suxisse ubera
 matris suæ, inde depulsum esse, Patrem ejus Abrahamum eam
 rem epulo insignivisse, nisi quid sublimius ibidem delineari; nun-
 quam etenim abjecte de Spiritu Sancti in verbo suo loquentis
 sensu, sed erecto ad profunditates Regni Dei animo, judican-
 dum est.

XVI. *Secundo*, & quod caput rei est, pro nobis ita est locus
 Pauli Gal. IV. 21. seq. ut studio obloqui Spiritui Sancto velle vi-
 deatur omnis, qui non τῷ ἀδελφογεγεμένῳ ibidem evidenter exposito,
 omnibus institerit viribus, *Saram* videl. esse Novum Testamentum,
 prout *Hagar* Vetus, præsertim in respectu ad utriusque filium,
 Isaacum & Ismaëlem, hac maxime serie: *Hic* erat prior tempore,
 natus ex serva secundum carnem, & ad servitutem quoque, per-
 secutor fratris, aliquando ejectus. *Ille* vero serius natus, ex ma-
 tre libera, per promissionem, persecutionem ferens, in domo ve-
 ro ut hæres ex asse manens. Sic *Judæi* sub sædere Sinaitico tem-
 pore fuere priores, acti servitutis Spiritu, servi per omnem vi-
 tam, tenore ἐντολῆς σαρκενῆς, lividi & invidi Christianorum perse-
 cutores denique à facie Dei abacti. Ast *Christiani* tam Gentes, quam
 Judæi, sunt in fine dierum V. T. regeniti ex Hierosolyma cœle-
 sti, per aquam & spiritum, ad libertatem à jugo, beati ferentes
 propter justitiam persecutiones, possidentes bona stabilia. *Conf.*
 Cl. Witsii Misc. P. II. Exerc. V. ad h. l.

XVII. Equidem expressam *ablationis* Isaaci & *convivii* men-
 tionem Apostolus non facit, neque applicationem ad latens ibi
 mysterium disertam hoc saltem loco; non enim id judicavit ad
 ad sco.

ad scopum suum hac vice requiri, ire ad specialiora: Pontem tamen attento & Christiano veritatis, quæ est secundum pietatem, æstimatori fluxit; non ut proprias suas hypothesas, præjudicia & chimaras in textum sacrum ingerat flectendo, trahendo, torquendo, infarciendo, quæ hæreticorum aliorumque nasutulorum est petulantia: Sed ut ne latum quidem unguem ab isto recedat subjecto, quod ipse Dei Sapientissimus Spiritus omni opera inesse demonstravit, & in aliis scripturæ locis ubertim & manifestissime ad rem significatam intendit digitum.

XVIII. Hoc jacto fundamento facilius transit ad rem ipsam. Sed *ἡ δὲ ἀρετὴ γεννηθεῖσα.* (α) Sara erat Isaac mater: Hierosolyma *ἡ ἀρετὴ*, opposita Monti Sina, libera, est nostrum omnium, fidelium ex Gentibus æque ac Judæis sub N. T. mater Gal. IV. 26.

XIX. (β) Sara longissimo vitæ tractu usque ad ingravescentem sæculi & decrepitam ætatem mansit sterilis. Ecclesia cœlestis, olim cum primis, respectu fertilitatis spiritualis in vera libertate, erat sub toto vetere fœdere sterilis; non erat tunc Dei populus, nisi inter solos Judæos, Pl. CXLVII. 19, 20. Gentes præsertim omnes reliquas iis præcedentibus temporibus sicut Deus incedere propriis viis Act. XIV. 16. Quam pauci sancti in gente Israël, in deserto, sub Judicibus, sub Regibus, in captivitate, & post eam? Et quid de reliquo, in malo jacente, immundo dicemus mundo? Conf. Pl. XII. 1. XIV. 2, 3. Jes. I. 8. 9. Jer. V. 1. - 5. Rom. I. 19. seq.

XX. (γ) Promissio divina, de futuro Abrahami è Sara femine, sæpe repetita fuerat, antequam hæc fieret gravida. Multoties vocatio, tam Gentium quam Judæorum in Christo, prædicta ante implementum fuit. Gen. IX. 27. XXII. 17, 18. XLIX. 10. Psal. II. 8. Jes. XLIX. 4. - 8. Hag. II. 7. Imò, quo diutius partus Sara differebatur, eo minus res apparebat secundum naturam eventura: Sic quo longius procrastinari videbatur, præter & post vocatos Judæos, vocatio quoque Gentium, eo magis videbatur esse *juste* à sæculis tacitum: Rom. XVI. 25, 26.

XXI. (δ) Tandem prædeterminato temporis articulo Sara concepit utero & peperit, vi divinæ promissionis, Filium. *ἡ δὲ* præeo, visus est adventum differre, ergo tanto prætolandus erat avidius,

dius, Hab. II. 3. Ecclesia fidelium ex Judæis gr̄avida quasi erat
divinis promissionibus; de advolantibus maximo numero quo-
que in Christum credituris Gentibus, conf. Pl. II. 8. Luc. II. 31. 32.
Signa temporum pervenerant ad maturitatem; Matth. XVI. 3.
Huc refer Mulierem Apocalypticam, Sole amictam, super Lu-
nam stantem, stellis coronatam (τὴν ἄνω ἱεροσαλήμ) parturientis
dolores passam, Filiolum, Gentium Pastorem, enixam. Apoc. XII.
1. seqq.

XXII. (ε) Sara filium suum lactavit ipsamet in primula in-
fantia. Sic cœlestis mater sub initium N. T. lacteum fidelibus
præbuit statim nectar, 1. Pet. II. 2. Lac in sacris duplici imprimis ve-
nit nomine; In genere emblemata est dulcedinis & opulentia, nec
non opimorum terræ proventuum, velut Canaanis; Gen. XVIII.
8. Ex. III. 8. Lev. XX. 24. Deut. XXXII. 14. Unde declarat uber-
tatis bonorum N. T. affluentiam Cant. IV. 11. Jes. LV. 1. LX. 16.
LXVI. 11. Joël. III. 18. Specialius verò, dum respicitur lac mater-
num infanti ex uberibus sugendum, confertur cum cibo molliori,
imbecillioribus apto nato, adultioribus autem escam firmio-
rem ad corporis robustioris nutrimentum requirentibus. Poste-
riori sensu nobis lactis emblemata nunc sumendum esse, vel ex de-
pulsione Isaaci secuta fatis evidens est. Quo in actu heic rei car-
dinem versari putamus. Conf. 1. Cor. III. 1. 2. 3.

XXIII. (ζ) Sara igitur filiolum suum accrescentem à lacte
depellit. Ratione Ecclesiæ primitivæ N. T. pari jure è Judæis & Gen-
tibus constantis, talem obtinuisse ab lactationem, nos non sinit du-
bitare Paulus in sua ad Hebr. Epist. c. V. 12. 13. 14. c. VI. 1. Vos
enim, quos oportuit pro temporis ratione DOCTORES esse, rursum opus est
doceri, quæ sint στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς ELEMENTA INITII eloquiorum Dei,
factique estis ii, quibus LACTE sit opus & non SOLIDO CIBO. Enim-
vero cur cum LACTE res est, ἴς RUDIS EST SERMONIS JUSTITIÆ,
Infans enim est, sed adultorum est solidus cibus. Eorum videl. qui propter
habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali. Quapro-
pter omissò qui IN CHRISTO RUDES inchoat SERMONE, ἀφέντες τὸν
τῆς ἀρχῆς τὸ χεῖρ ἄλογον, ad PERFECTIONEM feramur, non jacentes
rursum fundamentum. Heic non modo apertam lactis mentionem
habemus, sed & rei ejus significatæ; Et sunt elementa initii eloquio-

1118

rum Dei, sive sermo qui inchoat rudes in Christo; Lacte qui adhuc opus
 habet, vel infans est, eum oportet doceri *scilicet* prima elementa,
 velut in schola Alphabetaria, is rudis est sermonis justitia, ubi rur-
 sum fundamentum jaci necessum est; Ast adulti, solidiori alendi cibo,
 sunt, quos pro temporis ratione doctores esse oportebat, quique propter
 habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali; Imo qui
 omisso, qui in Christo rudes inchoat, sermone, ad perfectionem feruntur.
 Qui locus est apprimè commodus; Hebraeis enim scribebatur. Iis
 lac fuerat hucusque propinatum, cum tamen solidioris cibi *scilicet* & *scilicet*
scilicet in iis, ob diuturnum mediocri gratia usum, merito po-
 stulari potuisset. Per lac itaque quaedam doctrinae de Christo ru-
 dimenta, à quibus tamen, relinquendis aliquando, plus ultra fi-
 deles N.T. ad perfectiores doctrinae salvifica partes gradum pro-
 movere debuerint, rectè capiuntur: Namque audiverant et-
 iam simul de sermone principii Christi. Exemplum clarum esto in Ni-
 codemo, Doctore, qui tamen regenerationis materiam ex aqua
 & spiritu ne quidem percipiebat Joh. III. 1. sq. Meretur conferri
 locus Jes. XXVIII. 9. *Quem doceret scientiam? quem faciet auditionem*
animadvertere? Amotos à lacte, depulsos ab uberibus. Nam sic institutio
apud illos fit; regula ad regulam, littera ad litteram, parum hic, parum illic
nam in fannis labii & in lingua alia loquitur ad populum hunc. Gal. IV. 7.
 1. Cor. III. 1. 2. 3. Vid. Celeb. Coccej. ad Pauli locum pluribus.
 Verbo ut concludamus, Isaac recens natus nobis exhibet pri-
 mitias fidelium sub diluculum quasi vespertinum Veteris & ma-
 tutinum N. T. Matth. XI. 12. Quales erant Zacharias, Elisabetha,
 Simeon, Hanna, Johannes Baptista, Apostoli, LXX. Christi Di-
 scipuli, tria millia conversorum die Pentecostes; nec non ex
 ipsis mature Evangelium recipientes Gentiles Viri, tres insignes
 illi Centuriones, unus Capernaumi, alter ad crucem Servatoris
 stans, tertius Cornelius Caesareae habitans, alii. Lac est congeries
 praëceptorum in placitis, Christum subinducantium, ad tempus so-
 lummodo duraturorum, e.g. Mandatum de purgato leproso, ut Sa-
 cerdotibus se lustrandum committat. Matth. V II. 1-4. Luc. XVII.
 14. de obsecundandis mandatis sedentium in Cathedra Moïsis,
 Matth. XXIII. 3. & postea de abstinentia à sanguine & suffocato
 Act. XV. 1. 20. 21. qualium praëceptorum observandorum quaedam
 B 2

fuit necessitas aliquantisper, ob Gentibus intermixtos Judæos, qui facile scandalum acciperent, si Lex Moſis tam subito labefactaretur. Rom. XIV. 1. ſq. Paulus circumcidi in gratiam Judæorum ſivit Titum. Gal. II. 3. Qui & prudenter novit Judæis fieri tanquam Judæus 1. Cor. IX. 20. itidem probatum dedit occasione voti radendo caput Act. XVIII. 18. nec non ſacrificando Hieroſolymis in Templo c. XXI. 20. - 25. *Ablactationis* hujus præparamenta fuere varia, v. g. venditio bonorum in terra Canaan, ſerperastroorum eorum excuſſio, admiſſio gentium ſine prævia circumciſione, oppoſitio Pauli contra Judaizantes Gal. II. Donec per excidium Hieroſolymorum per Romanos tolleretur ceremoniarum legalium denique uſus, tanquam rei illicitæ poſthac, imo bonam partem impoſſibilis. Hoſ. III. fin. Stuckius ſupra laudatus l. c. habet inter alia *ὁμολογία*: *Quoniam omnes V. T. ceremonie atque actiones rerum ſpiritualium, eorum, quæ N. T. temporibus futura atque eventura erant, typi atque figura fuerunt, dubium proſecto non eſt, quin ablactatio quoque ſpiritualium quorundam myſteriorum imago fuerit.* Et paucis interjectis: *Deinde eadem quoque ſignum fuit admirabilis ejus, quæ poſt Chriſti adventum exſtitit, futurae ablactationis, quæ nimirum Iſaaci ſpirituales, læ infantie illi V. T. convenientiſſimum, h. e. legis elementa ac rudimenta cum ſolido cibo, h. e. cum Evangelio commutarent.* Et ruruſus: *Poſtremo futurum erat, ut Iſaaci poſteri juſto Dei judicio, à terra Canaan, ceu matris ſue lacte & melle ſuæntis uberibus, depellerentur.* Ita Apellis picturæ opus non eſt. adſcribere, quid rei ſit?

XXIV. (7) Reſtat *Convivium* Abrahami, occasione ablactationis Iſaaci paratum, & magnum illud quidem, non tantum depulli filii, nunc ſolidioribus cibus alendi, ſed & multorum aliorum hoſpitem gratia. Bona N. T. pro Judæis & præſertim Gentibus, opiparo & delicato comparari *convivio*, & in verbo Profetico Pl. XXII. 27 - 30. XXIII. 5. Jeſ. XXV. 6. & in parabolis Matth. XXII. 1. ſeq. Luc. XIV. 15 - 24. extra controverſiæ aleam ponitur. Pereximius certe locus eſt Matth. VIII. 11. 12. Poſtquam Chriſtus ibi elogio, præ Judæis, commendaret Centurionem Gentilem, addit: *Sed dico vobis (ſc. Judæis) Multi venient ab ortu & occaſu, qui accubituri ſunt cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in regno cælorum: Filii autem regni projicientur foras, ſicut Iſmaëli Iriſori in Typum quoque factum eſt Gen. XXI. 9. ſq. cum matre Hagar, Veteris T.*

ſervi

fervitatem adumbrante. Et Judæi, miseri verpuli, hodie dum projecti in desertum Gentium, sitiunt palabundi, sedentes in fovea, in qua non est aqua Zach. IX. 11. Donec Angelus Jehovah, Spiritus Dominus, 2. Cor. III. 16--18. ipsis in fine dierum monstraverit fontem salutis Christum Jes. XII. 1. Zach. XIII. 1. Desino in patheticis quinti Evangelistæ verbis, Jes. LIV. 1-5. *Canta sterilis, quæ non parit, fragorem ede cantu, & claram ede vocem, quæ non dolet; nam plures filii desolata, quam filii conjugata, ait Jehovah. Dilata locum tentorii tui, & aulea habitaculorum tuorum extendantur, ne cohibeto; prolonga fines tuos & clavos confirma. Nam dextrorsum & sinistrorsum prorumpes, & semen tuum gentes hereditario jure possidebit, ac civitates desolatæ facient habitabiles. Ne timeto, quia non erubesces, & ne ignominia confusa esto, quia non pudefes, sed verecundiæ adolescentiæ tuæ oblivisceris & probri viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Nam conjuges tui sunt opifices tui, nomine Jehovah Zebaoth; Et vindex tuus sanctus Israël: Deus totius terræ vocabitur.* Adde 1. Sam. II. 5. Hæc hæc tenus. Præxin è Pl. 131: 2. reservabimus in tempus commodum,

Adnexa Respondentis.

1. Sacra Scriptura in rebus fidei ad salutem non est obscura.
2. Melchisedecus fuit Christi typus.
3. Carnium esus ante peccatum fuit illicitus.
4. Non dantur Athei Theoretici.
5. Mundum in fine mutationi accidentali non vero substantiali obnoxium futurum, nulli dubitamus.
6. Arbor scientiæ boni & mali non fuit sacramentum, sed tamen arbor vitæ fuit sacramentum.
7. Corpus & sanguis Christi sumuntur tantum vera fide.
8. Transsubstantiationem rejicimus.
9. Sacramentum eucharistiæ sub utraque specie sumendum est.
10. Assumpsit Filius Dei veram humanam naturam; Non ergo est corpus ejus ubique.
11. Oracula Gen. XLIX 10. Deut. XVIII. 18. Jes. VII. 14. in Jesu Nazareno apertissime impleta sunt.
12. Adamus in statu innocentie fuit in Federe operum, suo omniumque suorum posterorum, nomine.

F I N I S.

PRÆ.

P R Æ S E S

Ad Ornatissimum Dn. Respondentem.

O ISAACE! bono BENEDICTUS habere jure,
 A mundi illecebris quando repulsus eris:
 Ast adsuëfactus sis spiritualibus escis;
 Cor sceleris purum fercula mille parat.

In signem sensum typicum, doctissime BENOT,
 Quæris in ISACO, dictaque rite probas.
 Fac pariter studeas, imitari ex omnibus illum,
 Id, quod sincera mente animoque precor.

*Hæc pauca præstantissimo Domino Resp.
 amico suo percharo gratulationis
 ergo adscribebat*

J. A. Baumesterus, Neunkircha-Saynus,
 Th. Cand. Opp. ord.

לכבוד ארוני

העונות;

וכקדם היה פרוש את עלילות

דברות יצחק בן אהרן מאד גדולות;

יש תעשה אחר כאשר נעשה

ככה שם ירום יפרח חרות;

*Contestanda φιλίας avexev ita animitus
 gratulatur*

J. G. Kellerus, Nasloa-Dillenbergenfis
 Th. Candid. Opp. ordin.

ISAACI nobis matris de lacte repulsi,
 Sensum declaras egregium typicum.
 Sint ISAACE tibi Patris præcordia pura
 Mepsque Deum venerans, & BENEDICTUS eris.

*Hæc paucula præst. Dn. R. in amicitia,
 απαντησας adponebat*

J. G. Osvaldus, Helv. Scaph.
 SS. Th. Cultor.

Blando ut tu sermone Eloquaris, flectere Numen
 Omnipotens decet, Id BENEDICTUM recta docebit.


*His lineolis felicissimum Doctissimo DN. Resp.
 Amico integerrimo successum, amicitus
 apprecor*

J. R. Hurterus, H. Schapfhusianus, SS. Th. St.

1. *Hottinger Specimen Praelectionum.*
2. *Jungst in Gen: XXI. 8.*
3. *Simpkins in Gen: 9. 25.*
4. *Gerdes Observ.*
5. *Portang in Gen: 9. 13.*
6. *Ejard continuatio.*
7. *Haseus in Gen: 49. 21.*
8. *Schröder in Gen: 4. 23. 24.*
9. *Hottinger Specimen Praelectionum*
10. *Lotteri Historia instaurationis Templi Hierosol.*
11. *Schramm introductio in notitiam Reformatorem.*
12. *Gerhard de Religione Moscovitarum.*
13. *Heckius de Confessoribus veritatis in Papatu.*
14. *Werendorf de Henotico Zenonis.*
15. *Clausing Athanasius vindicatus.*
16. *Hillicrus Fata et Scripta Weigeli.*
17. *Sporkheim de turbis Sacramentalibus.*
18. *Haseus de Monumento Lacedaemoni. p. 1. na.*
19. *Teuber de Titulis sine re.*
20. *Haseus de Monumento p. 2. da.*
21. *Wegner de visione Graeca 70.*
22. *Thomasius de Insignibus quatuor Evang.*
23. *Cvüger de ~~de~~ more se deo vendi. Praef*
24. *Willo de Methodo linguas tradendi.*
25. *Meyer de templo Iudaeorum tertio*


28. Ejirod Comentário de Medrasch.
29. Engelbach de visione Graeca Pentakuchi 70. cf
30. Theses Theologicae.
31. Van der Hart de usu linguae Rab.
32. Hareus de Descherunte.
33. Grillo de adventu Messiae.
34. Jocherius de duobus paribus pentecostalibus.
35. Kellers convenientia et disconv. Abarbanelis.
36. Hallbauer de scriptura S. in scriptoribus gentilibus.
37. Stephani de ar. Moses Genesim e Johedis patriarcharum
collegerit.
38. Wolle quadriga dictorum N. Foederis.
39. Reinhard de fatis graecae Linguae.
40. Barochius de interpretatione N. T.
41. Cardler de Vaticiniis.
42. King de Schebaim.
43. Henning de antiquo aenigmatum usu in nuptiis


1



3.







(27)

Jo. Phil. Pfeifferum antiquit Græc. lib. IV. cap. 14. p.
Leydeckerum de Republica Hebræor. lib. VI. cap. 8.
de uxore Hebraica lib. II. cap. 13. p. 187. & de Jure
5. *Heideggerum* in hist. Patriarch. l. 15. *Jac. Lydium* rit.
Potterum in Archæol. Græca lib. IV. cap. II. p. 619.
um P. II. der Jüdischen Merckwürdigkeiten lib. VI.
Guil. Stuckium lib. I. antiquit. conviv. cap. 24. p. 107. &
ium l. c. In quo more sine dubio typus fuit, totum
perpetuarum nuptiarum instar esse. Quod vero pri-
tæ diei epulæ præcipue commemorantur, inde est
us paschatis & ultimus festi tabernaculorum dies
stiviores reliquis erant, ita majorem donorum gra-
s gaudii mensuram primis & postremis temporibus
simus Deus distribuere constituit. De epulis prio-
test Cant. I. II. III. Hof. II. Matth. XXII. &c. & per
status augustissimus Ecclesiæ post effusum Spiritum
ribus agitur Cant. VIII. Jes. XXV. Prov. IX. Apoc.
collineant ad feliciorum conditionem, qua Eccle-
fordibus suis in fine seculi gavifura est, quamque
n piis desiderii anhelamus. Vide vener. *Frideric.*
um in Dodecade Sacrar. exercitat. ad Psalm. XLV.
egium Viringam in *avardores* Apoc. p. 818. ed. noviss.
jam cœna illa nuptialis, quam, NOBILISSIME SPONSÆ,
ma thori Tui Socia, vel me non monente cogita-
mper complecteris mente, ad quam per tædas nu-
neque enim ex ænigmatibus carent (*) vocaberis, &
adem aderis, non spectator tantum, sed conviva &
is epulo. O Te beatum! si sacra ænigmata isthic
exponderis & intellexeris, si in iis mente perceptis
D 3 folas

veteres in noctem usque celebrantur, vide Luca XII. 35. 36.
Ramiresum de Prado in *Pentecont.* cap. 14. p. 97. & *Cornel.*
rvat. p. 162. *Jo. Mich. Dilherrum* Tom. I. disp. Acad. p. 797.